

LACRVMÆ  
SVPER PRÆPROPERO,  
ET TRISTI, SED

ô felici FATO

ILLVSTRISSI-  
MI, CELSISSIMI QVE  
P. AC DOMINI, DN. FRIDERICI  
VVILHELMI, DVCIS SAXONIAE, LAND-  
GRAVII THVRINGIAE, MARCHIO-  
nis Misniae, &c. Dignis P P. virtutibus  
verè incomparabilis:

QVO

ANNO cIo. Io. cII. VII. IVLII H. noct. XI. VITA FVIT  
magno suorum, magno Procerum, magno subditorum  
omnium luctu, & desiderio placidissimè  
defunctus:

CHRISTIANÆ COMMISERATIO-  
NIS DECLARANDAE CAVSSA  
IN P. LVCTV

A  
SCHOLA GOTTHANA  
misse.

ANNO M. D. C. II.

Erphordiae excusa Typis Pistorianis.



## OPTIME LECTOR,

**N**emo nostrum est, qui hujus non fuerit  
**HEROIS, D. FRIDERICI**  
**VVILHELMII, o Principem! o Dis-**  
**cem! beneficō NVMINE, in inclytā**  
**SALANA, aliquandiu usus, idq; ex-**  
**pertus hic in nostra Bibliotheca. Nec esse**  
**jam debet, qui, quod carendum tanto BO-**  
**NO, quo sacra, quo profana, quo publica,**  
**quo privata, quo capiebantur, teneban-**  
**turq; omnia, non lugeat. Tu, OPTIME**  
**LECTOR, nobiscum dole; simul & illud**  
**Aeschyli in Theb. vers. 578. cogita.**

*Ὁ καὶ δὴ ἐστὶν ἄριστος βελόνης*

Hos verò quomodo melius, quàm per Bo-  
num ejusmodi Principem, & Ma-  
gistratum? Vale.

S. Rector.

SIC



I.



Se FRIDERICE WILHELME cadis? cadis  
in clypeo PRINCEPS?

Sanguine sic DIVUM Dux oriunde cadis?  
Triste RUINA malum! quid enim non usq; BO-  
NORUM

Damnat in exitium triste RUINA malum?

Cum BELLATOR atrox FRIDERICUS, & acer in armis

HEROS hoc primus nomine SAXO cadit:

Mars clypeum, Bellona tubas, Victoria Laurum,

Armaq; sub fossis deposuere cohors.

MUNIFICI cum laude potens FRIDERICUS & alter

HEROS hoc pariter nomine SAXO cadit:

Vestibus incinctæ CHARITES, de marmore vultu

Velatô, exequias Manibus ille putes:

Tristitia Euphrosine, squalore Aglaia sordet,

Usq; Thalia adeo tetricitate gemit.

Irene, atque Dice Divæ, & Sapientia victrix

Fortunæ, extorres sunt per inane loco;

Tertius ut FRIDERICUS obit, SAPIENTIS honore,

Quem sollers animus clara sub astra tulit.

Cum FRIDERICUS avus, quo non CONSTANTIOR alter

HEROS hoc quartus nomine SAXO cadit:

Qui tum non planctus, quæ non effusa sub ortis

Fletibus, ac lacrymis flumina, & unda fuit?

Ilum vidisses, Unstrum, Geramq; Salamq;

Gurgite spumanti fletibus ire suo:

Occidit heu! PIETAS, & RELIGIONIS Achilles,

Quem ferrum, quem vis nulla domare potest.

Huic similem HEROI non secula cuncta tulerunt,

Huic similem HEROI secula nulla ferent.

A 3

Cum



**C**um FRIDERICE WILHELME cadis; cadis inclyte Princeps;  
 Sanguine cum DIVUM Dux oriunde cadis:  
**MARS, ASTRÆA, CHARIS, SAPIENTIA, RELIGIOQUE**  
**UNI FATA OMNES** deproperata dolent,  
**Vis MARTIS, CHARITUM Dux, & SAPIENTIÆ ocellus**  
**ASTRÆÆ pater, & RELIGIONIS obit.**  
**Heu FRIDERICE WILHELME cadis! cadis inclyte Princeps,**  
 Sanguine DIVORUM Dux oriunde cadis!  
 Te Sala, te Gera, & simul Ilmus, & Unster, & Albis,  
 Et Moldus lacrymis flumina adaucta, gemunt:  
 Ille salus, requies nostris ille unica ripis,  
 Aureolus RUTÆ furculus ille jacet!  
**RUTA** gerens regum natos è sanguine FLORES  
 E quibus HEROES tot sibi ferta petunt.  
 Lanificæ cohibete manus, & parcite RUTÆ  
 FLORIBUS ô teneris parcite adusq; DEÆ!  
 Sub quâ tot passim densant umbracula vitæ  
 Urbes, tot populi divite pace vigent.  
**Heu FRIDERICE WILHELME cadis! cadis inclyte Princeps!**  
 Sanguine DIVORUM Dux oriunde cadis!  
 Te domus AUSTRIADUM DIVORUM summa potestas,  
 SEPTEM-teq; VIRUM curia sancta dolet:  
 Tenè decus nostrum; nostrinè amittimus orbis  
 Solem? quæ nubes tristat opaca diem?  
**Heu FRIDERICE WILHELME cadis! cadis inclyte Princeps!**  
 Sanguine DIVORUM Dux oriunde cadis!  
 Te gemit Aula; gemunt Urbes; Templâ intima lugent:  
 Pulpita Mularum fletibus ora rigant:  
**Heu Dux, heu Princeps, heu blando mitior HEROS**  
 Patre, rati dubiæ portus, & aurajaces.  
 Te FRIDERICE WILHELME vocat, vocat inclyte Princeps!  
 Sanguine DIVORUM Dux oriunde vocat  
**CONJUNX:** Heu nostro FRIDERICE WILHELME WIL-  
 Præpropero amplexu quæ fera Parca rapit? (HELME  
 Te

**Te FRIDERICE WILHELME** vocat; vocat inclyte Princeps  
 Sanguine **DIVORUM** Dux oriunde vocat  
 Inclyta Progenies; quæ vis, **PATER** optime, quæ vis  
 Nos teneros animos te viduare potest?  
 Sic **FRIDERICE WILHELME** gemit, gemit inclyte Princeps,  
 Sanguine **DIVORUM** Dux oriunde gemit  
**CONJUNX**, Progenies, omnis tibi subdita tellus;  
 Si qua levare queat **FATA** querella sibi.  
 Sed tu, **MAGNE PATER**, noviter **SOL** addite cælo,  
 Salve: hîc florebit laus tua, nomen, honos:  
 Donec in occasum roseo volventur ab ortu  
 Sidera: Donec aquis Phocidos unda fluet.

A  
*M. Andrea VVilckio Rectore*

II.

**D**VM **FRIDERICVS** obit **VVILHELMVS**, & aurea templa  
 Cæli cælituum **REGE** vocante subit,  
 Fundamenta labant patria, quatiturq; (dolendum!)  
 Terra ruinosò terra tremore minax:  
 Fortè rogas causam? longè ne querito causam,  
**SAXONIÆ** stabat firma columna **DOMVS**,  
 Cujus sub tectò, fidâ cujusq; sub umbrâ  
 Musæ securæ delituere loco,  
 Fulsit Relligio, viguit Themis, omnis honestâ  
 Sancta fuit ratio, risit & omne bonum.  
 Hæc collapsa gravi minitatur clade ruinam,  
 Portenditq; malum civibus orbis atrox.  
 Omnibus ordinibus nam Princeps fidus asylum est,  
 Orbis munimen, præsidiumq; potens,  
 Quo quocung; modo amoto quid terra, quid orbis  
 Salvum? quid mundi regnaq; sospes habent?

A 3

Singula



Singula, dum vixit, noster fuit inclytus HEROS,  
 Principis & virtus solis ad instar erat.  
 Cetera qui velut moderatur lumina mundi,  
 Naturaq; regit se variantis opus.  
 Cos sicis sapientia in amplis fervida rebus  
 Pro grege sudavit lege parensq; sacrâ,  
 Flos ævi, Phœnix Regumq; Ducumq; piorum,  
 Quos tulit haud raros Saxonie ampla Domus.  
 Hinc & divisum cum tanto Principe regnum,  
 Ius & idem voluit Numen habere poli.  
 Quo fasces, pietatis & amula sceptrâ tenente,  
 Iustitia, alma fides, religioq; stetit,  
 Quem quia subtraxit nostris obtutibus atrox,  
 Nesciaq; egregijs parcere Parca viris;  
 Flemus & heu ingens dolor imis ossibus ardet,  
 Et tantum gemimus juris habere Deam.  
 Siccine tu totus (infandum!) immissa per artus  
 Abrumpis nostri stamina lenta DVGIS?  
 Corporis atq; animæ firmum ausa resolvere nexum  
 Turbas dilecti jura sodalitiij?  
 Et fratrem fratris cari complexibus aufers,  
 Prolem indulgentis brachiolisq; patris?  
 Et quæ meta mali? Thalami per jura revinctas  
 Distrabis illustres vulnere quanto animas?  
 Et REGVM de stirpe, DVCV M de sanguine natam  
 Matrem orbis patriæ REG E, suog; Viro,  
 Imperij Proceres, orbis clarosq; Dynastas  
 Flore ævi privas, delitijsq; animi,  
 Musas Mæcenate, & Asylo Religionem  
 Tempa decore suo, legeq; jura fori.  
 Subdita membra piò patre, desertosq; clientes  
 Spe patrociniij, quid Dea dira furis?  
 Hoc ob triste malum, hoc ob ineluctabile damnum  
 En patria lacrymas angulus omnis habet,

Luce

Lugēt & omnē suo quod more, modōq; dolore  
Natura instituit, quod lacrymare iubet.  
Ex quo namq; cadis PRINCEPS FRIDERICE WILHELMO  
Flos, Thuringiaci lux & amœna soli.  
Omnia nigrescunt tenebris, quod amabile terra  
Delitium patriæ sustulit una dies;  
Natura in fletum sese quoq; solvere visa est,  
Vndiq; tot signis prodigiosa malis;  
Ingemuit cœlum, diffulsit & ignibus æther,  
Mugijt & tellus, fleuit & unda maris,  
Fleuerunt fontes & conscia flumina terra,  
Quæ maris undisoni vasta vorago vorat.  
Nempe Nicer cum Rheno, tuq; binominis Ister  
Tanti luxisti tristia fata DVCS,  
Sed vos cum primis Sala spumifer, Vnster & Albis  
Roratis fletu jam patrii arva soli.  
Arboreum sileamne genus, florumq; dolores,  
Suspicer heu saxis irriguisse magis?  
Flere dolor vetuit, perit herbis illico parvis  
Humor, & in lacrymas copia nulla manet;  
Pro lacrymis mors ipsa fuit, pietatis amorem  
Siccâ MAGNANIMO morte probare DVCS  
Aruit auditô tam tristi funere Laurus  
RUTA virens visa est peneq; velle mori.  
Quæ sed RUTA sui Domini sic languit ictu  
Funesto, ut propè idem mortis adiret iter?  
Vsu multiplici quæ claris emula rebus  
SAXONICAE stirpis gloria magna manet,  
Cujus & exornat clypeos, gentisq; tuetur  
Magnanimos titulos, sanguinis atq; decus,  
Regibus Imperij longo numeroq; coactis  
Hæc rutilat gladio conspicienda rubro.  
Hæc fuit è radice virens heu surculus iste,  
Quem maestâ stemus triste strepente lyrâ.

O quam



O quantâ emicuit Virtute, ubi murice splendens  
 Sustinuit claros Ensiferi ille vices?  
 Hujus ob interitum mæret jam tota propago,  
 Hancq; dolet stirpi gloriam abesse sua.  
 Collecti coeunt, quos Gratia NVMINIS ampla  
 Hâc è stirpe cupit luce frui superâ,  
 Hinc illinc patrui, quorum super aethera nota  
 Fama, replet rutuli solis utraq; domum.  
 Conveniunt inquam, & fatum miserantur iniquum  
 Heu patrui, & placant voce precante DEVM.  
 Addit se sociam Procerum speciosa corona,  
 Pax & Relligio, Turba novena, Themis.  
 Matronæ illustres & pullâ veste puellæ  
 Stant mæstæ, atq; altum pectore vulnus alunt.  
 Omnes ore fremunt unô, spes occidit omnis,  
 Estq; absunta salus, heu jacet omne bonum!  
 O quæ te nostri subducunt usibus ævi  
 Crimina? quæ lesi Numinis ira rapit?  
 Quæ Dux inclyte, quæ Princeps FRIDERICE WVILHELME  
 Est tam præcipitis causa maligna mali?  
 Funere tam properò talin' te tempore obire,  
 Quando tuam unius poscimus indigi opem?  
 Nectibi noster Amor subijt, nec tristia fata,  
 Non nisi consilijs quæ relevanda tuis?  
 Clara per Europam tua fama, per oppida & urbes  
 Nota, tui numerus nec meriti ullus erat.  
 Nulla tuum porro, nulla, inquam, secla silebunt  
 Nomen, & Heroi conscia facta animi.  
 Fama tui, Virtusq; recursans emula nulli  
 Te DVX æternâ laude serene vehet.  
 Mortuus & visus multis, revirescere in horam  
 Incipiens, vives tempus in omne tuis.  
 Salve noster Amor, salve, Dux inclyte, salve,  
 Otia qui fixæ plena quietis agis.

Amplius

*Amplius haud etenim subjectus es ictibus ullis,  
Nos quibus in terris sors inimica premit.  
Sed tibi parta quies, Paradisi & amœna Voluptas,  
Nos dolor, atq; angor, nos gravat omne malum.  
Salve per CHRISTVM sortite palatia cœli,  
Regnaq; mutari nescia regna poli.  
Non si vel totus fieret tibi subditus orbis,  
Magnaq; Alexandri cederet aula tibi,  
Iam cuperes revocare gradum, atq; revisere terras,  
Præstant terrenis cœlica mille modis.  
Quid non laudis in hoc mundo, aut non gloria habebas?  
At tibi nunc quanti? pensi, ais, haud habeo.  
Ergò duntaxat rident tibi præmia cœli,  
Et CHRISTI meritò gratia parta juvat?  
Hæc juvat, illa placent, ais: Omnia fumus & umbra  
Sunt humana: Poli gloria sola manet,  
Duntaxat mortalibus immortalia cœlum  
Spondet, in æternos vivere datq; dies.  
Fortunate HEROS salve FRIDERICE WILHELME,  
Et placidâ in CHRISTI mente quiesce sinu.  
Inclyte salve HEROS vitæ sortite coronam,  
Tristia & hâc vitæ damna repende tuæ.*

A

*M. Bernharo Glasero,  
Correctore.*



B

*Sicut*

III.

**S**icut ubi abruptus collisis nubibus ignis  
 Crebrius ingeminans celeri impete tecta petivit  
 Templi, marmoreas domini vel divitis aedes,  
 Horrificisq; locum implevit fulgoribus omnem;  
 Stant circum pueri, & pavida longo ordine matres,  
 Questibus & caelos onerant, mæstusq; per omnes  
 It gemitus; longo post tempore corda residunt:  
 Non secus attoniti FRIDERICE VVILHELME stupemus,  
 Lumine adempto, animam moribundo corpore fundens  
 Dum petis aetherij stellantia regna theatri,  
 Dum vix respicimus, dum vesi Te aetheris aura  
 Incolumem, heu! vano delusi errore, putamus.  
 Heu Dux magne cadis, cadis optime maxime Princeps!  
 Et cadis, ingreditur plenis dum passibus Ate,  
 Dum furibunda crepat passim bella horrida Enyo,  
 Terribiles animos acuens, irasq; manusq;  
 Pannonis ora jacet jaculis confossa Getarum:  
 Belgica terribili tremit horrida terra tumultus  
 Æratas acies & Suecus in agmina cogit,  
 Cladem alij, exitiumq; ferens, populisq; ruinas.  
 Quin & vicina disruptis legibus urbes  
 Inter se arma ferunt, perimunt, pereuntq; vicissim.

Hic

Hic FRIDERICE WILHELME tuis Respublica curis  
Consilioq; tuo (sed frustra!) postulat uti.

Heu Dux magne cadis, cadis optime maxime Princeps!

Atq; cadis, nostros populat dum lurida agellos  
Tempestas, grandoq; leves terit horrida culmos,  
Spemq; anni una dies aufert, tot amara labores.

Caelum ipsum, & rapidi praesagi fulminis ignes  
Portendere tuum, PRINCEPS Celsissime, fatum.

Nam velut antiquum vellet Natura relabi

In chaos, informemq; globum; caliginis atra

Omnia sic tenebris nigrescere! Juro JEHOVAM,

Me tantas vidisse minas non atheris unquam.

Proh caeli sensus, sortes, arcanaq; jura,

Sensibus a nostris quanto discrimine distant,

Juribus humanis quantum secreta recedunt!

Heu Dux magne cadis, cadis optime maxime Princeps!

Aurea te caelo PIETAS, tutissima Virtus,

Infert, ac medios inter locat inclyta Divos.

A Pietate fluit puris Benedictio rivis:

A Pietate fluunt liquida scaturigine Honores:

Consilium Pietas, ceu regula justa, gubernat:

Suggerit auxilium Pietas, res quando labascunt.

Exodium Pietas, Pietas sit & alpha negoti,

Prosperiter quascunq; tuas vis progredi opellas.

Tetua te PIETAS, Dux magne, per omnia tutum  
Præstitit, hac summis mactavit honoribus; hac &  
Ad latera Augusti posuit te dia RUDOLPHI.  
Hæc tumulo adsistens, flet lamentabile lethum  
O Dux magne tuum mæstissimas; Paxq; Fidesq;  
Addunt se comites, placido & clementia vultu.  
Et Pietas lessum faciens: Ter Maxime Princeps,  
Inquit, in hac tumbam quem Mors truculenta recondit,  
Sit precor o tibi sit requies æterna sepulto!  
Tu poteras lapsos revocare in pristina mores:  
Tu poteras hominum cæcas de cordibus umbras  
Pellere luciflua face Religionis a vite.  
Quam panè exiguis volitans exorta favillis  
Flamma serenato cælo caput extulit altum,  
Regnavitq; oras latè bacchata per omnes!  
Tu poteras solus tantam restinguere flammam,  
Et pietatè tua serpente[m] excindere pestem.  
Ista tenebris equum per Termanus impia pulsa  
Exulat, externis habitaculq; poscit in oris.  
Per te mansit honos mihi sartus tectus, iniquos  
Contra astus, furias, fraudem & molimina Avernis,  
Ceu saxo in solidum turris constructa vetusto  
Stat contra, & fluctus objectu frangit aquarum.  
Nunc mea, tecta situ, Virtus elanguit omnis,

Jamq;

Jamq̄, mihi videor planè de spectâ jacere,  
Ceupuer in cunis, quem somnus nocte reliquit  
Panè intempesta, pia blandimenta deesse  
Cum sibi nutricis videt, omnia complet acuto  
Vagitu, & lactis sibi debita munera poscit.  
Parvula vel qualis blando devincta sopore  
Filia, quam pater in solis fors nescius arvis,  
Imminuente die rediens sub tecta reliquit;  
Excitata mox circumfert lumina hiantia, nusquam  
Usurpat comites oculis, sentit ve sonorem,  
Sed loca sola videt per fusa timore, viq̄,  
Nescia, flens curis animum mordetur amaris.  
Heu Dux inclyte abis, nostras spes morte q̄, fallis!  
Tu decus omne meum, mea sola atq̄, una voluptas;  
Te migrante, simul cæli cava nubia tranans  
Humanis dicam rebus Vale; pœnitet hujus  
Fecis; & heu quam nunc tenebris involvor obortis!  
Genua labant, animaq̄, foras vis quassa recessit.

Plura quidem voluit Pietas, sed faucibus hæsit  
Interclusa loquela. Tuo Optime Maxime Princeps  
Sic turbata fuit tristi, infastoq̄, sepulchro.  
Sindonis induvijs nigrae CLEMENTIA te flet  
Te Xerampelina luget CONCORDIA veste,  
Te PAX nupta comas taxo pullaq̄, cupresso,

B 3

Te

Te bona SIMPLICITAS feralem induta lacernam,  
Te PROBITAS, te sancta FIDES pullata gemiscit.


His cum participant luctus juvenesq; senesq;  
Oppida flent, cives flent, flet paupercula terra  
Progenies; silva flent, saxa madore liquecunt.  
Flet Caesar, te flet turbati Caesaris AULA,  
Grandibus humectant lacrimis sua lumina RUTA;  
MISNIA flet, flet Saxonis ora, flet inclyta FRANCIS;  
Simplicitatis amans fletu THURINGIA inundat.  
Et nos horrifico cines factum te propè busto  
Insatiabiliter deflebimus, eternumq;  
Nulla dies nobis mœrorem è pectore demet.  
Interea salve FRIDERICE WILHELME sub umbra  
Marmoris, æternum salve Dux Magne, Valeq;.

Vulnus at hoc, JOVAE quod dextra inflixit, iniquo  
Ne Dux JANE feras animo, mitissime Princeps.  
Quod factum à Domino est, placide toleretur oportet!  
Ille TIBI in Pylios clementer proferat annos  
Corpore cum sano vitam, Dux inclyte salve,

A  
M. Iohanne VVeitziö, P. L.  
Schola ejusdem Collegâ.









LA C  
 SVPER PR  
 ET TRIS

ILLVS  
 MI, CELS  
 P. AC DOMINI  
 VVILHELMI, DVC  
 GRAVII THVR  
 nis Misniae, &c.  
 verè in

ANNO cIo. Io. cII. VI  
 magno suorum, magno  
 omnium luctu, &  
 de

CHRISTIANÆ  
 NIS DECLAR  
 IN

SCHOLA

ANN  
 Erphordix exc

